

- <sup>1</sup> **P**rimum quidem sermónem feci de ómnibus,  
o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére,  
<sup>2</sup> usque in diem, qua,  
cum præcepísset Apóstolis  
per Spíritum Sanctum, quos elégit,  
assúptus est;  
<sup>3</sup> quibus et præbuit seípsum vivum  
post passióem suam  
in multis arguméntis,  
per dies quadragínta appárens eis  
et loquens ea, quæ sunt de regno Dei.  
<sup>4</sup> Et convéscens præcépit eis  
ab Hierosólymis ne discéderent,  
sed exspectárent promissionem Patris:  
«Quam audístis a me,  
<sup>5</sup> quia Ioánnes quidem baptizávit aqua,  
vos autem baptizabímini in Spíritu Sancto  
non post multos hos dies».
- <sup>6</sup> Igitur qui convénerant, interrogábant eum dicéntes:  
«Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israéli?».
- <sup>7</sup> Dixit autem eis:  
«Non est vestrum nosse témpora vel moménta,  
quæ Pater pósuit in sua potestáte,  
<sup>8</sup> sed accipiétis virtútem  
superveniénte Sancto Spíritu in vos  
et éritis mihi testes et in Ierúsalem  
et in omni Iudæa et Samaría  
et usque ad últimum terræ».
- <sup>9</sup> Et cum hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est,  
et nubes suscepit eum ab óculis eórum.

- <sup>10</sup> Cumque intueréntur in cælum eúnte illo,  
ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis,  
<sup>11</sup> qui et dixérunt:  
«Viri Galiláei, quid statis aspiciéntes in cælum?  
Hic Iesus, qui assúptus est a vobis in cælum,  
sic véniet  
quemádmódum vidístis eum eúntem in cælum».

Verbum Dómini.